

rum, aequae concordiam subiectis exitiosam. alterius manus
 centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere.
 nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. in proelio 3
 fortiores esse qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque et
 5 imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi dilectus,
 tamquam mori tantum pro patria nescientibus. quantum 4
 enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic
 Germanias excussisse iugum: et flumine, non Oceano de-
 fendi. sibi patriam coniuges parentes, illis avaritiam et 5
 10 luxuriam causas belli esse. recessuros, ut divus Iulius
 recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur.
 neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent: plus
 impetus felicibus, maiorem constantiam penes miseros esse.
 iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem 6
 15 absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detine-
 rent; iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare. porro
 in eius modi consiliis periculosius esse deprehendi quam
 audere.

His atque talibus in vicem instincti, Boudicca generis 16
 20 regii femina duce (neque enim sexum in imperiis discernunt)
 sumpsere universi bellum; ac sparsos per castella milites
 consectati, expugnatis praesidiis ipsam coloniam invasere
 ut sedem servitutis, nec ullum in barbaris [ingeniis] saevitiae
 genus omisit ira et victoria. quod nisi Paulinus cognito 2
 25 provinciae motu propere subvenisset, amissa Britannia foret;
 quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenenti-
 bus arma plerisque, quos conscientia defectionis et proprius
 ex legato timor agitabat, ne quamquam egregius cetera adro-